



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 6. Amadæus Ripaliam reversus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV ut reformatis Cleri moribus, necnon  
 A. C. 1449. gregis curæ suæ concreti instructioni-  
 bus assiduam daret operam. Ast brevi  
 anno scilicet sequenti laborum ipsius cur-  
 sum mors intercepit.

*Æn. Sylv. Europ. c. 42.* Assumpsit etiam Nicolaus in cetero-  
 rum Cardinalium numerum Joannem  
 Archiepiscopum Tarentasiensem, Ludo-  
 vicum de Warambone Maurianensem  
 Episcopum, & Guilielmum de Stagno  
 Archidiaconum Metensem, omnes Gal-  
 los, a Felice Cardinalium collegio ad-  
 scriptos; Ceteri enim ab eodem creati,  
 aut jam mortui erant, aut dignitatem ab-  
 dicarunt. Inter quos erat Joannes Segoviensis Hispanus Vir moribus, & doctrina  
 illustris, qui dimisso Cardinalatus titulo,  
 Cæsariensi Ecclesiæ p̄fectorus, in præ-  
 ruptis montibus parvo monasterio con-  
 tentus vixit. Scripsit duos libros de  
 Concilio Basileensi, ex quibus acta sua  
 Augustinus Patricius Senensis Canonicius  
 excerpit. Idem quoque Alcoranum  
 Turcarum in lingua latinam convertit,  
 & ineptias ejus solidis argumentis ex-  
 ploshit.

### §. VI.

#### *Amadæus Ripaliam reversus.*

**A**madæus Sabaudiæ Dux abdicato suo  
 Papatu Ripaliam regressus est, ubi  
 piis

piis operibus intentus, cum suis Equiti- Sæcul. XV.  
bus Ordinis militaris S. Mauritii reli- A. C. 1449.  
quos vitæ suæ dies transegit, & quam-  
vis habitum monasticum non induisset,  
moribus tamen ad regularem discipli-  
nam compositis in hoc recessu vixit.  
Quapropter inmerito a quibusdam Scri-  
ptoribus memoriæ traditum putamus,  
Amadæum hoc vitæ genus elegisse, ut  
seorsim vitam agendo, liberius deliciis,  
atque voluptatibus frueretur, indeque  
ortum duxisse illud Gallorum adagium,  
*faire ripailles*, facere ripaliam, hoc est,  
indulgere ventri & lætitiae. In hac Ere-  
mo sua jam quintum egerat annum, cum  
a Basileensibus ad Papatum evocaretur,  
quo dimisso solidum adhuc triennium  
ibidem explesse constat, cum nonnisi  
anno salutis supra millesimum quadrin-  
gentesimo quinquagesimo secundo sexa-  
ginta octo annos natus e vita excesse-  
rit. (\*)

### §. VII.

#### *Jubilæum in annum sequentem a Ni- colao promulgatum.*

Nicolaus, cum totam Italiam eorum,  
qui Mediolanensem statum ambie-  
bant,

(\*) *De anno mortis Amadæi omnino con-  
fendus est Pagius in suo Breviario Historico-  
Chronologico tom. 5. num. 25. ad ann. 1450.*